



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Lucrum vsurarium præsupponit duo ad hoc vt licitum reddatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

de fracto voto, & tenetur adimplere promissum quā-
 primum potest. Et hæc intellige, nisi votū fuerit onus
 temporis: quia tunc sufficit sola pœnitentia. Appella-
 tur autem onus temporis, quando votum est factum
 propter illud tempus præcisè: vt si quis vouisset ieiu-
 nare in vigilia sanctæ Mariæ Magdalenz propter ho-
 norem Magdalenz, si non ieiunat in vigilia illa, suffi-
 cit sola pœnitentia, quia ieiunium illud votiuum erat
 onus temporis scilicet vigiliæ illius, sicut ieiunia Ec-
 clesie in vigiliis, sunt onera illorum dierum præcisè.
 Si verò vouisset ieiunare triduo intra mensem præ-
 sentem si non ieiunauit, tenetur & ad pœnitentiam,
 & ad ieiunandum triduo quamprimum potest: quia
 tale ieiunium votiuum non est onus illius temporis,
 sed tempus est appositum vt mēsurā intra quam de-
 bet impleri. Et sic de similibus iudica.

Lucrum ex mutuo an semper sit iniquum.

VSura (hoc est lucrum ex mutuo) iniqua est, quia
 aut bis venditur idem, aut venditur quod non
 est: hoc est, quia aut pecunia bis venditur semel pro-
 forte, & iterum pro lucro: aut vsus pecuniæ qui non
 est præter pecuniam venditur. Et propterea est pec-
 catum mortale: vt pote contra iustitiæ charitatem. Et
 quia usura distinguitur in vsuram mētalem tantum,
 & in vsuram extrinsecam, & vsuræ peccatum ex pro-
 prio genere est peccatum in exteriori opere consi-
 stens, quia est ad alterum iniustitia, ideo tractandum
 est de vtraque, sed peius de vsura exteriori, quæ con-
 sistit in hoc quod est lucrari ex mutuo, interueniente
 pacto explicite vel implicite.

*Lucrum usurarium præsupponit duo ad
 hoc vt licitum reddatur.*

Vbi nota primò quòd ad lucrū usurarium requi-
 runtur & sufficiunt quantum est ex parte ipsius
 M m 4 lucra

lucri duæ conditiones. Prima est, quòd sit aliquid pecunia æstimabile. Secunda est quòd non sit suum. Vnde ex his conditionibus redditur ratio & declaratio multorum casuum. Primus est. Si quis mutuatur ad hoc ut ille sit sibi amicus, non est usura: quia amicitia non est pecunia æstimabilis. Nulla tamen potest hic conuentio ciuili interuenire: quia amicitia est res cui repugnat obligatio ciuili: quia amicitia est interior amor spontaneus, obligatum autem ciuili ter est necessitati subiectum, ita quod uelit nolite tenetur exhibere illud. Vnde ridicula esset obligatio ciuili ad amicitiam, quæ pecunia æstimari non potest. Secundus est. Si quis mutuatur ut redhibeat suum apud petentem mutuum quomodolibet occupatum aut detentum, non est usura, quia nihil lucratur, sed suum recuperat. Tertius est. Si quis mutuatur ut redimat vexationem suam, non est usura: quia nihil lucratur non suum, sed quod suum est seruat: ut si quis mutuatur alicui comminanti sibi aut suis, & hinc exiit se à multis sumptibus quos oportet ad sui tutelam facere, & sic de qualibet alia redemptione vexationis sue. Quartus casus est. Si quis ex hoc quod mutuatur incurrit damnum, deducit in pactum ut soluatur sibi ultra sortem suam interesse quod incurrit ex mutuo. Verbi gratia, quia accepit sub usuris ut mutuet illi: vel quia minoris vendit rem suam, ut habeat pecuniam quam illi mutuet: & sic de similibus. Nulla siquidem hic interuenit usura: quia nullum ex mutuo lucrum est, sed sola vitatio proprii damni: decet enim mutuuantem seruare se indemnem. Et hoc quòd ad damnum emergens. Quintus casus est quo ad damnum lucri cessantis. Si quis pecuniam pro parata in promptu negotiatione expositurus in veritate, ut occurrenti casui necessitatis proximi ex charitate subueniat, mutuatur, ac damnum cessantis lucri sibi per-

Colui

solum ultra sortem deducit in pactum, usura non est, si duæ adsint conditiones. Prima est, quod mutuans ex hoc mutuo impediatur verè à lucro: quod tunc non est quando mutuans habet aliam pecuniam quam potest mutuare: quia si aliam habet, non impeditur ex mutuo à lucro. Secunda est, quod non totum lucrum separatum ex illa negotiatione, deducatur in pactum: quia lucrum in potentia non est adhuc, & potest multipliciter impediri ac per hoc non valet tantum quantum si esset in actu. Et propterea si exolueretur totum, solueretur plus quam debet solui. Vnde potest aliqua pars lucri cessantis ad arbitrium boni viri taxari ut sit contractus licitus. De quo diffusè vide in commentariis nostris super secunda secundæ. q. lxxviii. art. ii. ad primum. Sextus est, Si quis mutuatur alicui eo pacto ut remutuet sibi quando ipse indigebit, usura est: quia obligatio ista pro quanto est ciuili, est pecunia æstimabilis. Quamuis enim accipiens mutuum teneatur ex debito morali ad remutuandum quando opus erit & poterit, non teneatur tamen ex debito ciuili: quale debitum oritur ex pacto. Vnde quum obligatio ista sit pecunia æstimabilis, non potest ex mutuo in lucrum duci absque usura. Septimus est, Si quis mutuatur alicui eo pacto ut veniat ad molendum in mola sua, aut ad emendum ad officinam suam, aut aliquid huiusmodi usura est: quia obligatio ista ad molendum in hac mola, ad emendum ab isto & huiusmodi vendibilis est: & ideo non licet ex mutuo hoc lucrum alienæ obligationis reportare. Octauus similis est isti. Si quis mutuatur alicui Domino temporali eo pacto ut concedat sibi officium prætoris, vel aliquod aliud officium, usura est: quia concessio ista vendibilis est. Et propterea non licet ex mutuo lucrum talis concessionis exigere.

Discerne tamen in his casibus duo lucra, Alterum,
M m s vsuras

564 **Vsura exterior.**

vsurarium: & alterum, licitum. Nam vsurarium lu-
 crum est obligatio ad remutuandū, obligatio ad mo-
 lendum in hac mola, obligatio ad emendum ab hac
 officina, obligatio ad concedendum tale officium: &
 sic de similibus. Licitum verò lucrum est merces de-
 bita pro mola, pretium rerum venditarum, stipen-
 dia & prouentus officii, & sic de similibus quia ista
 lucra non sunt ex mutuo, sed ex aliis contractibus,
 seruitiis, industriis operis, & officiis &c. Et propterea
 in istiusmodi vsuris non tenetur qui sic mutuauit ad
 restituendum mercedem molæ, pretium venditarum
 rerum, stipendia prouentusque officii, & similia: sed
 ultra pœnitentiam de peccato vsuræ tenetur primò
 ad relaxandum vinculum obligationis de continuanda
 mola aut officina, de continuanda manutentione
 in officio: quia huiusmodi obligatio est lucrum vsu-
 rarium: & tenetur secundò ad recompensandum illi
 pro ista obligatione: quæ vendibilis erat, quamuis ille
 noluisse vendere ipsam. Ad arbitrium autem boni
 viri spectat determinare quantum pro huiusmodi ob-
 ligatione restituendum sit, vt satisfiat secundū æqua-
 litatem iustitiæ. Nonus est. Si quis mutuat domino
 vel communitati eo pacto, vt donec restituatur sibi
 mutuarum non soluat gabellas, vsura est: quia ex
 mutuo lucrum reportat exemptionis à debita solu-
 tione gabellarum. Constat enim quòd hæc exemptio
 pecunia æstimabilis est: & tenetur iste ad restitutio-
 nem communitati seu domino gabellæ de toto re-
 tento quod soluere debuisset: quia lucrum vsurarium
 est. Decimus casus est. Si quis mutuat alicui centum
 ea ratione vt emat à mutuante quædam sua iura de-
 sperata aut inutilia, aut agrum sterilem aut aliquid
 huiusmodi, vsura est pessima: Tum quia mutuum,
 damnum infert proximò annexæ malæ emptionis:
 Tum quia etiam si res quæ venales proponuntur essent
 viles

Vsura exterior. 565

viles valde, contra naturam contractus mutui est quod is cui mutuantur, obligetur civiter ad emendum, seu quodlibet aliud vt dictum est.

Vndecimus est. Si quis mutuat super pignora ea ratione vt habeat tres pro centenario: non quasi lucrum ex mutuo, sed quasi subsidium ac stipendium necessarium ad custodiam pignorum & excussionem, & alia huiusmodi, vsura est: quoniam in veritate iste non mutuaret, nisi lucra hæc ex hoc quod mutuat, expectaret. Ex hoc autem non sequitur errare illos qui pignora onerosa bona fide accipientes, volunt indemnes se seruare: sicut enim non debent ex pignore fieri locupletiores, ita nec pauperiores: & sicut fructus pignoris sunt computandi in sortem ita expensæ qualitati pignoris annexæ imputandæ sunt domino pignoris. Duodecimus est. Si quis mutuat alicui nauiganti mille ea ratione, vt cum ipso eodem mutuante fiat contractus assencionis dictorum mille soluendo eidem mutuanti tot pro centenario, vsura est vera: quia quidem mutuans ultra sortem vult obligationem ad subeundum contractum assencionis: præsumpta autem: quia mutuum ad hoc lucrum tendere videtur. Et ideo damnatur in cap. nauiganti. de vsuris. Nota secundò, quod quia lucrum vsurarium est mutuo, ideo si quis non mutuat sed accommodat, seu locat aut vendit pecuniam cum pacto recipiendi aliquid plus, non est vsura: sed liciti sunt huiusmodi contractus, dummodo pacta sint moderata iuxta qualitatem temporum &c. Et similiter si aliunde quàm ex mutuo lucrum superueniet.

Et hinc habes claritatem plurium casuum. Primus est. Si quis accommodat pecuniam alicui ad ostentationem faciendam (vt numularii soliti sunt monstrare publicè quasi aceruos nummorum aureorum) & exinde vult sibi lucrum aliquod, nõ est vsura: quia nõ

566 Usura exterior.

ex mutuo, sed ex accommodata & quasi locata pecunia lucrum habet.

Secundus est similis. Si quis locat pecunias aureas ad ponendum in balneo, vel brodio & huiusmodi si inde vult moderatum lucrum, nulla est usura.

Tertius. Si quis nummos aureos vendit pro argenteis, & inde moderatum lucrum exigit, nulla est usura. Et ratio horum & similium casuum est: quia pecunia in istis contractibus non mutua, sed quasi rei quaedam accommodatur, locatur, venditur, sicut licet in similibus casibus aurum non monetatum, gemma, iocalia, & alia huiusmodi possent accommodari, locari aut vendi cum honesto lucro. Quartus casus est cum lucrum venit ex mora debitoris: ita quod postquam debitor non soluit tempore debito, potest creditor duo lucrari scilicet poenam conventionalem & aliquid pro interesse tam damni emergentis quam lucri cessantis. Nullum siquidem excrementum huiusmodi est usurarium: quia non ex mutuo provenit, sed ex mora debitoris. Et haec intellige si & quando contra voluntatem creditoris contracta est & durat mora. Nam si creditor prorogasset terminum, aut esset contentus de mora continuanda, usura esset: quia ex mutui continuatione seu conservatione lucrum proveniret & non ex mora. non enim est in mora qui consentiente creditore moratur, sed solus qui invito creditore differt solutionem. Et haec dicta sunt de usura ex mutuo explicitè.

Usura impliciti è commissa diversimodè consideranda.

DE usura autem consurgente ex mutuo implicitè (hoc est ex incluso seu interpretato mutuo in aliis contractibus, puta emptionis & venditionis, &c.) dicendum nunc est. Primus ergo casus est, Si quis

vezo